DEPLORANDI LOTHARINGIÆ STATUS AB ALIQUOT ANNIS. ELEGIA IN QUA VIDERE EST...

Jean Héraudel

by Google

AVTHOR SATIS EX NARRANDIS AGNOSCENDVS

Lectori Benevolo.

FOrtè non defuit qui existimationi detractum voluerit meæ quod Principis addictior Cliens non fuerim sequutus abeuntem quasi de obsequio illi præstando debitoq; parum sollicitus; Testem aduoco (glorioſum nomini meo, paucis commune) suffeciſſe filios, tres demórtuos, tres superstites, & quod non paruæ laudis accessio est, rogatum de recipiendis in tutelare præsidium reliquis de familiâ suô diplomate penes me studioſè asseruato comprobasse. Nouit & ille quibus ordinum gradibus, quâ virtute, quo successu, Interim tametsi anxius de auertandâ bonorum addictione tum meorum tum filiorum à primo matrimonio quinque, vt aliquibus contigit, ingruentia Patriæ flagra versibus Elegiacis successiuè composui; postea de reditu suæ Celsitudinis ab hispaniâ in Galliam & ab Galliâ Nanceium Panegy-

rim Carmine. Heroico, non qualem exigit subiecti dignitas, sed ingenij tenuitas & annorum septuaginta quinque molesta series ferre potuit. Si quid in illâ præ rerum acerbitate dolendum, in hac inuenies (lector Beneuole) præ reditus sperati iocunditate quod soletur. Agnosces saltem compendiò è quanto mœrore Lotharingiam affecerit absentia, quantæ pro incolumitate tum publicè tum priuatim effusæ preces, vota concepta & soluta, peregrinationes susceptæ, sacra litata, populi cultum, obseruantiam, amorem, agnosces semotam penitus præteritarum cladium recordationem, præsentiæ lætitiâ & oblectamento, Quæ tua summe Deus in me benignitas produxisse vitam in hoc tempus, quo scripto hoc famulatû ei meum renouem, Tanti beneficii Immortales ago gratias, precorque quatenus Lotharingiæ suæ in multos annos seruet incolumen, sperandum Singulari Mariæ Præsidio, sanctorum Nicolai & Sigiberti suffragus.

GRassatur PESTIS, furit implacabile BELLVM,
Insuetoq; FAMIS flamine vita fugit:
Vnde tot assurgunt Lotare dispendia genti
Ærumnæ, gemitus, vulnera, damna, Neces,
Congestum genus omne mali, seu fœdere pacto
Etne in interitum Terra, Polusq; ruant.
Inualuit si quando Lues, non inde verendus
Mars erat, aut etiam mortis alumna fames,
Sæuiret quantumq; licet, nec semper vbique
Fas vita celeri consuluisse fugâ:
Sique foret quosdam perimi, tum fortè iuuabat
Pluribus e flagris, vnius esse necem.
At quot sapè diem passim expleuere supremum
Hisque, simulque tribus Milite, Peste, fame,
Dum victum seges agra negat, contageq; cœlũ
Squallet, & insanus sæuit in Arma furor.
Hinc à ter denis, vnus, populosior etsi
Totus Europa Tractibus ante foret,
Pars ferro, illa luè, Tabe altera, plurima vtrisq;
Inter supplicy mille, nouumque genus.
Vndique fœtantes confusa stragis Acerui,
Inmistique jacet putre cadauer humo,

Non lachrymis perfusa oculos stat Prefica, nulli
Cura sepultura, cura Rogique subest;
Mœsta cruentatis sola funebria soluunt
Squalida dum lacerant dentibus ossa fera.
Rure, pagoq; mori (dices) quibus obtigit, vrbe
Non ita, quâ functis iusta litata putas.
Metropoli Patria, vicis aliquando iacentes
Plusquam bis denos abstulit vna dies,
Hi foueâ propriis tumulandos vestibus vnâ,
Nec qui praecedat, quique sequatur habent:
Pro feretro geminus titio, crux, tadaq; nulla,
Fœlices ex quo terra subinde tegat.
Ἄνθρωπον Ἄνθρωπος λύκος, sociosq; cauendum
A socio, rabies quem premit atra fames,
Nec si Naturum manibus cecidere, peremptos
Dant in frusta patres, coctaq; membra vorãt,
Mandit olens functa genitricis filia corpus,
Et circa Nata praestat idemque parens,
Exosas murum carnes, felumque, canumque
Turpiter insano Noueris ore teri.
Mortua si qua pecus (Coruorũ praeda) repentè
Villari prostat lautior Esca domo,
Quos edat hic bulbos, radices fodit & alter,
Nonnullos etiam Quercea Messis alit:

Deficiente etenim Terram qui ſuleet aratro
Cum nullas fruges ſeminet vnde metat?
Si quis Equos, vel fortè Boues, Aſinoſq; miniſtret
Exertos ſtabulis protinus Hoſte rapt,
Et raptis toties, ſi qua eſt ſperanda Coloni
Ex operâ meſsis, ſola ligone venit.
Inter tot clades, non eſt penuria ligni,
Quantaque tum fuerit prætereunda mihi;
Hic caput è ſyluis, humeros redit Alter onuſtus
Ollaque vix alto ſapè coquenda fuit,
Vtuntur Rhedâ plures aliquando jugatâ
Sicca ſed in quantum Sole, Geluq; via eſt,
Non leue diſcrimen, ſiquidem pleriſq; teperet
Nullo, ſeu tenui parua coquina foco,
Quin leue ſi tempus ſpectes, quo ferbuit Æſtus,
Terraque quo fructus promeret alma ſuos:
Aſt vbi ſæuit Hyems quales præ frigore plãctus,
Quot lachryma, tremulo qualis in ore tonus,
Impletur querulis Inopum clamoribus Aer
(Cuius ſe noſcunt Aſperitate premi)
More ſuũ liquet innumeros (ſi forte caleſcat)
Ejecto ſtabulis procubuiſſe fimo,
Occubuiſſe aliquot, (putidâ fœtore vaporis
Natiuum humorem quippe fouendo necat.

Hinc à Militibus confusim adjeciet Igni
Quæ prostant Abacus, Scrinia, Scãna, Toros
Vt quoque deficiũt, Postes, Tabulata, Trabesq;
Id genus vrendum si quod in Æde subest.
Soluitur in Dumos, Camporum fusa patentum
Planities, nec te quò via ducat habes.
Gramina si qua virent, nullo carpũtur Ouili,
Putret & insoluto fertilis herba situ.
Annua priuati cessat præstatio census,
Vllâ nec tenuis nummulus arte venit,
Fœnora si qua petis, furgs mox debitor actus
In diras (iusto quolibet ære) ruit
Diuitys quantumve potens, tu Tantalus alter
Esuru, & minimo non datur asse frui
Fraudes nectuntur varias, variq; parantur
Mobilium fictâ venditione dolj,
Solitem moueas, Impensis lite peremptâ
Obrueris, nec adest qui tibi fortè luat:
Exhaustus tandem loculus, cellâq; penuq;
Et quidquid solers conderat ante manus
Vendere pro nihilo, si non dare cogit Egestas
Qualescunq; tenax Arca recludit opes.
Exterus has gẽmas, & quæ tibi culta suppellex,
Illa conuersâ sorte, futura quoque est.

Casta maritali complexu auellitur vxor,
Materno rapitur filia chara sinu,
Si qua virgo latet, districto prodditur ense,
Districtoque tamen non datur Ense mori,
Quo scelus? infamia, veneriq; procacior Hirco
In venerem Miles, luxuriamque ruat,
Proh pudor (Infandū dictu) cœnobia temnat
Despectâque sacras Religione domos.
Hinc tundi mœstum repetito verbere pectus,
Hinc indefesso rore maderē genas
Mene dicta Deo, tædasque exosa iugales,
Me virgo, in tantum desiluisse nefas,
Cur impollutam non est excepta dehiscens
Terra prius, cur non antè petire datum?
O cælum? nec plura loqui, deflectit anhela
Et tandem nimio victa dolore perit,
Virgo perit, nec enim rapto superesse pudori
Debuit, intacta virginitatis amans.
Quin etiam exclamat querulis vlulatibus Vxor,
Non licet innocuos præterijsse dies?
Iamque viro lustris quatuor iuncta fideli
Connubij tentet fallere iura mei?
Ah pereant Miles pereant prius omnia mecū
Et prius en partes hæc mea membra feces.

Nil prestãt gemitꝰ, lachrymisq; procacius ardet
Nullâ etenim infestus flectitur arte furor.
Vita quibus supereſt, extrema per omnia ducũt
Et trahit inuisas Atropos vsque moras.
Macror inauditus languentes inficit artus,
Ictericusque notat pallida membra color:
Quid mirum? panis Buxella latro minatur
Rure, Domi, syluis instat vbique metus,
Nam quid agas, vbinus latites, quocũq; ferarie
Non est Tuta tibi, vita salusque loco.
An dolus, an etiam virtus, non arcibus ipsis,
Arcibus, obsessas succubuisse liquet,
Nec cirũductis plerumque ad Mœnia stlopis
Astuti furis, proditione patent,
Hic fœdum simulans pandi petit, Ocyus illum
Ianitor inducit, qui tamen hostis adest,
Accitis siquidem socys, vetat ille recludi
Districto exertas dum tenet Ense fores.
Inde cateruatim stabulis insistere, saltem
Non nisi predatas deseruisse datur.
Si quo fortè loci, proprio res Marte gerenda
Aduocat absentem. Nocte silente petit,
Adnutum nec enim semper prostat comitatus,
Aut vnde exoluat quippe viator habet,

Saluus adit, nullumque subit discrimen eundo,
Infortunatus qui redeundo perit.
Securos putat hic obscœno podice nõmmos
Infami vulua cautior illa latet,
Absorbens alius, proprio dum pectore seruat
Tutius incœptam credit inire viam,
Mox vbi sistuntur, nudata in corpora Miles
Inquirens, spurcis exerit ara locis
Nec prius egestâ (si non euisceret) aluo
Liber inexpletas effugit ille manus.
Vicani pretiosa latent, subductaque nullâ
Saltem hominis reperi, dexteritate placet
Incursu turma primo, penetralia quaque
Perquiri satagit, moxque recluſa patent,
Propterea tamen exercitus satiata recedit
(Priuatas quamuis depopulata domos)
Campanas tuditat, tuditatas auehit, Aras
Denudat, poderes, lintea, vasa, rapit
Quid plura? (impietas nullo tortore piandа--
(Horresco referens, & meminisse pudet)
Pro stabulo templũ, pro mensâ altare, sacratũ
Proque schypho calicẽ Damone peior habet,
Qua tua sũme Deꝰ bonitas, nec fulmina vibras
In strages, flammas & scelus omne ruit.

Hinc nullo ætatis, nullo discrimine sexus
Funestâ plures Interiere nece,
Hinc arsere pagi, & si cui flamma pepercit
Protinus armatâ corruit ille manu.
Semirutus nutat paries, compage revulsâ
Axes, Tigna, Trabes, nec nisi ligna cinis:
Clandescit ferrum redimit se sola fauillis
Tegula, & in calcem solvitur ipse lapis.
Mole ruinarum vestigia trita teguntur
Non adus facies, vix quoque forma pagi.
Agricola patrios exin liquere Penates
Et simul eversas deseruere Domos.
Sylvis nulla salus (nam quæ fiducia) densum
Si nemus est, trucibus lecta cauerna feris.
Campis non maior, subdio carpere somnum,
Semper in Excubys, irrequieta quies
Fures, Arma, Lupus, subito mox incola casu
Nutat semianimus, nec morsendo perit,
Scilicet humanis assueti carnibus, in quem
Protinus invadant, Insilantque Lupi.
Quod tamẽ ante feris latebra, căpusq; nemusq;
In vastas hominum prosiliere domos,
Adversùm spelæa quibus deserta pagorum
Rudera, quæis constat parturysse Lupam,

(Nec mirum) nullo pastor clamore lacessit,
Latratuque Canes, & metus omnis abest,
Sic quod vicano pagus antea, nũc quoq; fas est
Dicere quod catulus Tuta caverna Lupa.
Vnica fortè salus præcinctâ mœnibus urbe,
Quæ tamen hostili subjicienda jugo,
Olim Turrita fuerit licèt æmula Memphi.
Nanceium, Lotari lausque, decusque soli,
Regia lectu Ducum, cultu, murisque superba,
Multo cive gravis, divitiisque potens,
Nanceium Europæ tractus florentior inter.
Tutior accedit nulla proinde salus.
Primũ namque Duci, fratriq;, sororibus ipsis
(Urbi si quæ salus) Urbe petenda novâ
Vt sistendus erat, petit hic Campestre sacellũ,
Et reditum simulans non rediturus abit,
Captivanda simul Princeps Henrica, repente
Carrucâ latitans ingeniosa fugit:
Se quoq; subducũt Franciscus, Claudia, Nosse
Quâ gestum id fuerit dexteritate placet.
Singula captandis cœunt suffragia Martis
Vt quo nulla queat spes superesse fuga,
Protinus arctentur, circumstant mille coercos,
Totque oculos mirem fallere posse negant,

Nil modo jungantur dispendia carceris, horret.
Sed vult sponsa viro dissociata mori.
Uxori sponsus, quid tam crudele, minantur
Auellis proprio par utriusque sinu:
Interea quamuis custodia strictior instet
Armatos inter solus inermis amor.
Lampade franciscus prait, mentitaque sexum
Ascitos sequitur Claudia, veste puer,
Excubitor credens solito abnoctare cubili
Nec strepitus quisquã, nec metus inde subest.
Iam labor eductu Aulâ, quibus artibus urbe,
Egressus ueteri, liber itemque foret;
Agresti prostant habitu, sua cuiq; ferenda est
Sporta, superposito conspiciunda fimo,
Villatica crassi segmento Claudia panni,
Cannabe ille sago formam Olitorie habent,
Incuruant gradiendo humeros seu põdere fessi,
Argutâque fores rusticitate petunt.
Ad passus aliquot, plaustro expectãte, bipenni,
Secureqne sibi consuluere fugâ;
Vt primâ Aprilis, monitis risere monentem,
Et sibi custodes imposuisse putant.
Non hoc fictitiũ, malè sana insomnia mentis
Quadam scurrilis fabula texta joco,

Sic se totum habuit quod demirabitur ætas
Postera, & id verum si tamen esse putet.
Vtique Ducis sortem complures inde secuti,
In cute quod solui non datur, ære luunt.
In cute, supremi placito tum forte Senatus
(Horresco referens, & meminisse piget)
Franciscanorum lotarius, dignusq; sacerdos
Nancey indignâ morte, manuq; cadit,
Militibus, ratione soli natalis adactus
(Quod nullum immemorem præstitisse sui
Militibus Lotaris pernam, vinique lagenam
A leucis quatuor miserat, inde Reus,
Delatus, numero lictorum accitur in urbem
Nec mora iudicio sistere, captus habet,
Cum non inficeret Morti damnatur, obitq;
Infami Gabalo, Carnificisq; manu.
Ære luunt, fisco addici bona (terreat hostis
Quo magis & posthac nullus adire velit)
Tam culta fuerint, euerti funditus Ædes
(Siqua hortis) Corylos, strutia Mala, pyros
Dein gen⁹ omne mali, cuius quo munere prostet
Intempestiuâ deditione subis.
Grãde quidẽ est Vrbe arceri, qua scilicet annos
Depositi quatuor restituenda fuit.

Nec minimũ, quod cũ decumanis libera portis
Præstaret quatuor tum licet, una patet
Nanceij patet vna noua, quò carceris instar
Sit vetus, & duplici sanat Aræe timor:
Supremũ, quinq; elapsis quater amplius annis
Nondum restituj, pacta, fidesque velint.
Qualia sint, grauiora tamẽ te Mosha manebãt
Et periisse quibus comprobat ipse locus.
Qui te namq; videt, si forsitan anteà vidit
Vmbram vix vrbis dixerit esse tuæ.
Vrbs munita situ, longâ munitior artè
Suspicienda domus vna Ducalis erat,
Accedunt Turmæ flãmas, Mortemq; minãtes
Quæ numero obtũdant, Ridet at illa minas.
Ofsidij longo circumdant Aggere sedem,
Inconcussa videt, nec metus inde subest,
Ignitas Tormenta vomunt ad Mœnia glandes
Immota Rupes Mœnia, nilque mouent,
Quo magis obsistit, rigidis insultibus vrgent,
Nescia quo flecti prostat, stemque ruunt,
Sed generosa licet tantis conatibus obstet
Incipit auxilio deficiente premi:
Spe tandem patriæque boni, proprixque salutis
Obductas pandit deditione fores,

(Deditio in fælix) cives mora nulla fugari,
Funditur euersa Mœnia, Templa, Domos.
Fœdere namq; perit, qua solùm fœdus iniràt
Hostili metuens Capta, perire manu.
Quod si fortè nihil melius sperare liceret
Præstiterat mortem, morte luendo, pati.
Fas obsistentem victori euertere, detur,
Submissam pactâ dedstrone nefas.
Vnde quidem plures (si dici possit in armis)
Armorum infracto iure periisse velint.
Contra aliquis, causamq; notãt, si præualet, esto
(Non etenim arbitrio discutienda meo.)
Pacta vbi nulla fal', despect', scõmata & antè
Tot clades, cur non vel timuisse putes.
Velle, iubere tamen, sit pro ratione potestas
Non ego, qui litem dirimat, alter eris.
Quod piget imò pudet (dãno cessante) parentẽ
Corpora, pro Templo saxeus agger habet.
Insuetum genus hoc Belli, qua subditur vnà
Ex alys, repetet luce sequente pater.
Obsessis, captis, vix captis, moxque receptis
Non nisi sæpe nouo funere funus inest,
Sed licet alterno valeant Tormenta fragere,
Impigrè Miles certet vtrinque manu.

Contra obſeſſorem cuis inclementia pugnet,
Intenſum frigus, diluuieſque noua,
Preſcriptâ demum turmas ſtatione coactus
Euocet, id Lotaris exitiale quoque eſt;
Captiui ſiquidem plures, quibus arctior, & ſi
Nancey vtrius non magis ampla Domus.
Quis videat nemo; clamantes audiat vllus
Quin niſi marmoreus condoluiſſe velit.
O ſors? ſors noſtris nimium contraria votis
Que nos paſſa capi, non tulit illa mori,
Nos Bello captos, violato fœdere Belli
Obtorpere gelu, noſque perire fame.
Nec redimi placeat, ſoluto licet are petitos
(Sanities nullo tempore viſa prius)
Aut cita libertas, nec enim peccaſſe fatemur,
Aut cita Mors, crimen ſi quod ineſſe probes.
Pluribus à leucis pecori nil reſtat alendo
(Si ſtabulis aliquot fortè ſubeſſe datum)
Nec magis Agricola, miſero cui panis Auena
Deficit & ſeuum non habet vnde coquat:
In prõptu cauſa eſt (mirari deſine) quod non
Conſumpſit Miles, prateruendo rapit.
Si forſan caſtris ſiſtit, tum cetera ſenſim
Vicinis pereunt proditione pagis;

Adde Hibernātes Equitū, Peditumq; cateruas,
Quarum parte altâ tot ſcatuere loci.
Exin quanta putas Patria diſpendia, Tanta
Singula que calamo diſcutienda neges,
Omnia poſſe tamen credas hoc carmine nectj
Si quid erat reliqui iam ſuper eſſe nihil.
Auſtraſij quibus vſq; Ceres, Liberq; fauere,
Auerſi quorſum, Liber itemque Ceres.
Tot mala, totq; Annis, ſemper, quo ſidere natj,
In peſſum ſemper ſingula queq; ruant,
Aurea qua fuerat, nunc ferrea temporis Ætas,
Infelix rerum diſpar itemq; tenor,
Serica Veſtis, Vaſa Argentea, Splēdida Menſa,
Culta Domꝰ, Thalamus mollis, Amica quies.
Segmentum, Teſta vilis, Penuria victus,
Vix Caſa, Stramē humi, Syſiphiuſque labor.
Dicere vix auſim (quod adhuc ſpes duret Auorū)
Spes licet infœſtis vnica rebus agat.
Proh dolor, humanæ quāta hæc mutatio ſortis
Craſſos, atque Iros conditione pares.
Si tamen vna ſemel vita eſt efflanda neceſſum,
Quid tibi profuerit Diues inopſue cadas
Dum naſci, pariterque mori diſcrimine nullo
Quicquid habent hominū, Terra eadēq; tegat

Omnibus vna semel vita est, non omnib⁹ vnũ
Funus idem, vario stamine vita fagit.
Nil tamen infausti pereas inuenisq; senexque
Stipite, glande, febri, Milite, peste, fame.
Hoc opus, hic labor est nullâ palescere culpâ
Conscia mens casu vel leuiore pauet
Pectoris ergo tui abstrusos Lotharinge recessus
Scrutare & tanti qua sit origo mali.
Nam scelera accersunt diuini numinis iram,
Ira famem, morbos, vlcera, Bella, neces
Hoc tamen arũnis solamen grande, quod inter
Tot sectas proauum, Religione nites,
Prodigyq; instar, nulli tot termina passo
Contigerit propriâ se jugulare manu,
Non diffidenda quædam Argumenta salutis,
Nec cœlum curam deseruisse tui.
Cladibus in tantis solemnia vota luantur
Vt liceat patriâ liberiore frui,
Hinc Mariæ, spũsoq; Ioseph loca sacra petũtur,
Turmatim populus fundit vbique preces,
Nec tutelarus quamuis semiusta patronũ
Visere Nicolaos Templa, pagumq; piget,
Pax conclamatur tanto tutamine, quippe
Mox cessaturus tot truculusque flagris,

At ſperate Deum Lotari, nam criminis expers
Vita, expectata ſemita pacis erit,
Des Deus (oro ſuplex) reduces Pacẽq; Ducẽq;
Faxis & in longum Tempus vtroque frui.

FINIS.

853320